

1094, desembre, 5

Berenguer, Arbert i Ramon, germans, fills d'Amat, defineixen a Sant Daniel i a la seva abadessa Adelaida un alou situat a Sant Sadurní, consistent en l'esglésiola de Sant Joan <de Salelles>.

ASD núm. 15, perg. orig., 150 x 322 mm.

Sit notlim cuncte hominum uniuersitati future necne presenti quia nos Berengarius et Arbertus et Ramundus fratres, filii quondam Amati bone memorie, difinitores et euacuatores simul et donators sumus Deo et Sancti Danielis cenobio quod situm est ·in ipsa ualle ante Gerundam ciuitatem ad orientalem plagam, et tibi Adaleizi abatisse omnibusque sanctimonialibus sub tuoregimine degentibus. Recognoscimus denique nos iniuste habere et per uim retinere ipsum totum alodium quod quondam fuit Geriberti Sendredi, filii quondam Sendredi iudicis, quod situm est in comitatu Gerundensi, intra terminos parrochie Sancti Saturnini que antiquo nomine dicitur Salzed, in loco qui est ad domum Sancti Iohannis et in aliis multis locis, necnon et in locò qui dicitur Negres, quod totum alodium profitemur iuris et derectatici esse predicti cenobii Sancti Danielis. Est autem dictum alodium ecclesiola parua in honore Sancti Iohannis antiquitus fundata cum plurimis sacrariis circumquamque constructis; preterea mansi cum terris et uineis cultis et eremis, cum arboribus diuersi generis. Sicut habetur et continetur predictum totum alodium, et sicut quondam Geribertus et genitor eius Sendredus eum melius habuerunt et tenuerunt, cum suis omnibus affrontationibus, cum exitibus et regressibus et cum uniuersis quocumque modo prelibato alodio pertinentibus, sic difinimus eum et euacuamus, guarpimus, tradimus simul et donamus sine aliqua resseruatione quam ibi non facimus omnipotenti Deo et predicto Sancti Danielis cenobio et prelibate Adaleizi abbatisse uniuersisque sanctimonialibus secum in prefato monasterio commorantibus per Dei amorem et nostrorum peccaminum, genitoris simul et genitricis nostre remissione, eo tenore ut nos aut ullus nostre consanguinitatis uel posteritatis homo uel femina aut aliqua cuiuscumque qualitatis persona ab hodierna die inantea non possimus in predicto alodio aliquid requirere uel acclamare, sed amodo usque in sempiternum pretextatum totum alodium in iure et potestate ac dominio Sancti Danielis sine ulla inquietudine maneat inconuulsum. Quod si nos aut si qua persona magna uel parva cuiuscumque sit ordinis uel dignitatis, contra presentem difinitionem et euacuationem, guarpidonem et donationem uenerimus ad irrumpendum, non ualeamus uendicare quod requisierimus, sed componamus Deo et Sancto Danieli et sanctimonialibus ibi degentibus prelibatum alodium in duplo in consimili loco, et postea presens diffinitio firma maneat in omni euuo.

Acta diffinitione et euacuatione norris decembris anno .xxxv. regni Philippi regis.

+Berengarii Amati+\ sig+num Remundi Amati, sig+num Arberti Amati, qui istam diffinitionem et euacuationem, guarpidonem et donationem fecimus, firmauimus et

testes firmari rogauiimus. Sig+num Petri Raimundi. Sig+num Berengarii, leuite.
Sig+num Arnalli Iohannis, leuite.

Poncius clericus hoc scripsit, die et anno (s. *man.*) quo supra.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 87-88